

Tillemann Stella  
1580



Ortelii Theatrum 1579, 1601, 1603, 1612.



117





MANSVELDIÆ  
COMITATVS.



MANSVELDIA veteris Saxonie portio, putatur nomen à Manno secundo Germanorū Rege sortitū, cum Mansveldt nihil aliud sonet, quàm si dicas Manni campus, quæ etymologiam stabilire videtur Ascania, locus huic proximus, quem Ascenez Germanorum patris nomen referre nonnullis persuasum est. Est hic propè etiam Ascher leuben, quasi dicas Ascenez domum. Est quoque ibidem lacus ab Ascene denominatus. Habet hic tractus ab oriente Salam fluuium, territorium Archiepiscopatus Magdeburgensis, & Diocesim Merseburgensem; Turingia illi à Meridie est, ab Occidente respicit Comitatum Swartzeburgensem, Stolbergensem, item Sangerhusi, Anhaltiæ, & Affenburgij Principatus: adeò vt hi Comites à Mansveldt (qui etiam nobiles domini à Heldringen vocantur) hos habeant Principes vicinos, Archiepiscopum Magdeburgensem, Episcopum Merseburgensem, Electorem Saxonie, Landtgrauium Turingiæ, Ducem Saxonie, Episcopum Halberstadiensem, Principem Anhaltiæ, Dominum Bernburgensem, Comitem Swartzeburgensem, & Stolbergensem, Dominum à V Verther, & Dominum ab Affenburg.

Quando hæc regio, aut à quibus Comitatus titulo decorata sit, se nescire fatetur Andreas Hoppenrodus, in suo de Saxonum Principū genealogiis libro. Hic tamen, & cum eo Curiacus Spangeberg, eius antiquitatē ex eo asserit, quòd eius Comes Hegerus nomine, illius celeberrimi Arturij Britannorū Regis coætaneus fuerit, atque vnà cum ceteris huius Regis Heroibus Mensam quam vocat rotundā celebrauerit. vixit hic Arturius circa annū Christi 542. Quòd si cuiquam hæc de Tabula rotunda historia nimis fabulosa videatur, exstat nihilominus in Angliæ Regni meditullio ferè, opidū Mansveldt dictum, situm inter fluuium Trentam & Rotheram, non procul ab vrbe Notingam.

Continet hic Comitatus in se quatuor alios Comitatus; Arnstet scilicet, VVipra, VVerthin, & Quernfurt. hi olim proprias & peculiare habuerunt Comites, nunc verò præter Comitem à Mansveldt neminem agnoscunt. Est in hoc Comitatu quoque Palatinatus Saxonicus. Sunt alij præterea nonnulli Principatus, quos in tabula videre licet. Primariæ vrbes sunt, Mansveldt, Eysleben, VVypra, & Leimbach.

Regio est admodum metallifera. Fodiuntur hic Saxa firsilia illa, quæ vulgus *Scheyffersteyn* vocant, cuius generis vix alibi in toto terrarum Orbe reperiri scribit Munsterus. Sunt lapides illi cupro prægnantes, itaque vt igne adusti maceratiq̃ue cuprum reddant, atque id non sine maxima argenti copia. Sed hoc mirandum Naturæ ludentis spectaculum est, quod idem scribit; esse nempe in hac regione amplissimum lacum, cuius piscium, ranarum, aliarumq̃ue reptilium formas atque figuras adeò accuratè in ipsis quoque his dictis saxis effigiatas atque à natura depictas cernimus, vt prima fronte illas dignoscere, atque singulas suis nominibus exprimere queas. Huius quædam habeo dono accepta ab illustrissimo huius regionis Comite Petro Ernesto, Lutzenburgensi Governatore.

In lacu huius regionis, quem propter faldinem *Gesaltzen* vocant, si retia piscatorum altiùs immittuntur, prorsus aduruntur: non secus ac si flammâ fuissent concremata, vt refert Seuerinus Gobelius, in sua Succini historia. Idem scribit, prope Illebiam succini massam humani capitis magnitudine aliquando inuentam.

Promittit huius regionis commentaria Cyriacus Spangeberg, in quibus singulæ ciuitates, arces, pagi, montes, siluæ, flumina, lacus, fodinæ, &c. describentur; additis earundem antiquitatibus, originibus & historiis.



PPN: 23685626X

Kart S 167



ULB Halle KS: D II 7 [1] / 2

S